

mortaliter peccat. Id confirmatur ex anathemate quo Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 18) perculit eos qui quoquo modo feminas a religione ingredienda sine justa causa impediunt. Cfr. n. 611, XI. Et merito advertit Ball. P. (n. 201) consilia parentum conantium a religione avertere adulescentes, in minore adhuc aetate constitutos, aegre in praxi immunia esse ab aliqua specie deceptionis: tales enim adulescentuli crebro inepti sunt ad vitium argumentorum detegendum.

Seclusa vi vel fraude, graviter non jam contra justitiam, sed contra caritatem peccant qui alios a religione amplectenda avertunt. Ita sentit S. Alph. (n. 77), neque videtur contrarius Suarezius, quem S. Doctor tamquam sibi aliquatenus adversantem citat: quippe qui, quamvis id generatim a gravi culpa excuset, addit (de Relig. tr. 7. l. 5. c. 9. n. 9): "Licet in hoc peccato non sit injustitia, tamen saepe contra caritatem potest esse malitia gravis, praesertim si preces seu inductio nimis sint importunae et contra Spiritus Sancti vocationem moraliter certam et absque ullo rationabili titulo et causa." Neque enim putandi sunt reliqui DD. grave peccatum reperisse in iis consiliis, nisi cum tres illae condiciones adsint. Augetur haec culpa in parentibus, qui ex pietate graviter obligantur ad spirituale bonum liberorum suorum procurandum, et in confessariis, quos poenitentes de sua vocatione consulunt; immo isti veram injuriam inferrent, siquidem "qui accepit consilium munus, eo ipso veluti ex quodam tacito pacto obligatur ad consilium fideliter praestandum." (Suar. l. c. n. 8) Saepe tamen parentes ex inadvertentia et caeci amoris impetu practice a gravi reatu excusantur.

Nec sunt culpandi parentes qui rationabiliter de vocatione liberorum suorum dubitantes, puta ob indolem levem, aliquod experimentum instituunt quo veritas clarius appareat, usi jure quod lex civilis ipsis in filios minores concedere solet. Sed graviter peccare possent qui ad voluntatem liberorum explorandam eos mundanis periculis exponerent, quasi vocatio quae a Deo venit certe omne periculum evasura esset. (Ball. P. n. 198; Damanet, op. cit. c. 13) Ex altera parte, dubium non est quin graviter peccet qui aliquem cogit ad monasterium ingrediendum vel professionem emittendam. Ratio patet: gravis injuria alienae libertati infertur. Cfr. n. 611, X, anathema quo Trid. (l. c.) perculit eos qui mulieres invitas in monasterium detrudunt.

80. VI. Hodie, ex decreto a Pio IX per S. C. super statu Regularium edito 25 Jan. 1848 (Coll. P. F. n. 416), nemo admitti potest ad habitum seu ad noviciatum inchoandum sine testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit. Decretum istud pertinet ad quoslibet Ordines, Congregationes vel domos in quibus

vota emittantur, etiam mere simplicia. Hae tamen litterae testimoniales, ut eadem S. Congr. declaravit 1 Maii 1851 (Coll. Bizz. p. 891), requiruntur ad liceitatem, non autem ad valorem susceptionis habitus et professionis. Pariter ab eadem S. C. 25 Febr. 1863 declaratum est, litteras illas non esse necessarias ad admissionem monialium. His satis providerat Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 17), dum statuit puellas ab episcopo per se vel alium a se deputatum examinandas esse, tum antequam habitum suscipiant, tum antequam professionem emittant. Exigenda jam nunc sunt a postulantis testimonium baptismi et confirmationis, testimonium bonorum morum, testimonium status liberi nisi de eo certo constet aliter. (Normae recentes de Inst. vot. simpl. 28 Jun. 1901)

CAPUT III.

DE NOVICIATU ET PROFESSIONE RELIGIOSA.

81. I. Professioni praemittendus est, sub poena nullitatis, noviciatus unius anni integri et continui. (Trid. Sess. 25. de Reg. c. 15) De quo pauca breviter notabimus:

1° Annus noviciatus non tantum moraliter, sed mathematice seu de momento ad momentum completus sit oportet.

2° Interrumpitur annus noviciatus, ideoque totus iterum inchoandus est, si novicius e conventu exit cum animo deliberato hanc religionem deserendi, etiamsi aliam ingredi velit; — si per longum tempus extra monasterium, sine superiorum licentia, permanet, quamvis forte habitum retinuerit; — si novicius dimittitur, et, habitu spoliatus, monasterio jam egressus est. (Piat. Prael. J. Reg. I. p. 97 seqq.) (1)

3° Noviciatus, in Ordinibus qui proprium habitum habent, incipit a momento quo habitus induitur et totus in eodem peragendus est. Deducitur ex Trid. (l. c.): "Nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur."

4° Licet plures AA. requirant ad valorem professionis ut noviciatus peractus fuerit in domo quae a S. Sede tamquam probationis domus designata sit (Coll. Bizz. p. 311 seqq.), alii tamen quos enumerat et sequitur Piat. (op. cit. p. 107) opinantur, ob rationes valde probabiles, hanc condicionem requiri tantum pro Italia et insulis adjacentibus. Ipse

(1) Secundum plures praxis severior usu valuit quantum attinet ad Instituta votorum simplicium, ita ut, si quis, etiam annuente Praelato, unam diem afuisset, interrumpetur noviciatus. (Cfr. Battandier, Guide canonique)

autem Urbanus VIII (Brevi *Decet Romanum*, 17 Nov. 1634) declaravit hoc decreto non affici Congreg. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, quemadmodum non comprehenduntur *ceteri Clerici Regulares*.

5° Ne minuatur novicio libertas redeundi ad saeculum, Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 16) irritavit omnem renuntiationem vel obligationem quam novicius de bonis suis faceret, etiam cum juramento vel in favorem ejusdemque causae piae, nisi cum licentia episcopi, sive ejus vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem. Ex declaratione autem Pii IX, 1 Aug. 1862 (Coll. Bizz. p. 915), renuntiatio haec fieri nequit nisi duobus mensibus ante professionem sollemnem. Ipsum vero Trid. (l. c.) ab hac dispositione sua excipit Societatem Jesu.

6° Novicii Ordinum Regularium subsunt Praelato religionis vi jurisdictionis quasi-episcopalis qua insignitur. Non incurrunt igitur casus reservatos dioecesanos; casus vero in Ordine suo reservatos plerumque etiam effugiunt, quia Superiores Regulares generatim eos sub tali reservatione comprehendi nolunt. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 31. n. 89) Excipe si contrariam voluntatem expresse manifestaverint, ut factum est in Soc. Jesu. (Pelliz. Man. Reg. tr. 2. c. 6. n. 31)

7° Novicii gaudent privilegiis tum communibus, vid. fori et canonis, tum specialibus religionis suae.

8° Leges de noviciatu pertinent tantum ad religiones stricte tales pro quibus latae sunt. Congregationes igitur tenentur tantum ad ea quae propriis constitutionibus sancita sunt. (Aichner, Comp. Jur. Eccl. § 138)

82. II. Post peractum noviciatum, hodie in Ordinibus Regularibus virorum emittenda sunt **vota simplicia** perpetua ex parte voventis, sed quae solvi possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. In iis votis simplicibus professi per triennium perstare debent, antequam sollemnia vota emittant: quae irrita forent si triennium istud non esset mathematice completum. Poterunt tamen Superiores generales vel provinciales ex justis et rationabilibus causis professionem votorum sollemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum 25 expletorum. De his omnibus constat e decretis editis a Pio IX per S. C. super statu Regularium 19 Martii 1857, 12 Junii 1858 et 7 Febr. 1862. (Coll. Bizz. p. 904 seqq.) De hac emissionem votorum simplicium quae, sensu minus proprio, *professio* dici solet, quaedam notabimus:

1° Ad eam valide emittendam requiritur saltem aetas 16 annorum completorum, quam Trid. (Sess. 25. de Regul. c. 16) ad emittenda vota sollemnia requisiverat. (Decr. cit. 19 Martii 1857)

2° Requiritur quoque ad valorem immunitas ab omni impedimento

quod, juxta commune jus vel particulares Ordinis constitutiones, essenziale sit.

3° Invalida sunt, saltem e jure positivo (Decr. l. 1. t. 40. c. 1), vota religiosa extorta per metum gravem injuste incussum ad consensum obtinendum. Immo in foro conscientiae idem dicendum de metu levi, si reapse invito consensum extorsit. (Ball. P. n. 58) Ob errorem vel ignorantiam rarissime fore invalida vota religionis, patet ex dictis Vol. I. n. 314, IV.

4° Essentiale est ut vota ista accipiantur a Superiore cui haec facultas, juxta singulorum Ordinum constitutiones, competit, vel ab alio cui ille eandem delegaverit. In domibus mulierum simplicia vota habentium et in congregationibus episcopo immediate subjectis, professio emittitur in manus episcopi vel illius quem aut quam ipse ad hunc actum delegaverit. (Aichner, l. c.) De ratione autem qua vota emittenda sint, pauca determinavit jus commune: ideo singulorum Ordinum vel congregationum constitutiones servandae sunt, neque putandus est defectus essentialis, nisi id clare e jure naturali vel scripto constiterit.

5° Professi votorum simplicium tenentur ad observantiam regulae Ordinis prout sollemniter professi. (S. C. super statu Reg. 16 Aug. 1858) Excipe tamen recitationem officii (n. 46) et quae spectant ad discrimen inter votum paupertatis simplex et sollemne, prout n. 90 seqq. declarabitur.

6° Idem participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum quibus gaudent sollemniter professi, paucis exceptis quae omitemus, utpote ad forum externum pertinentia. (Decr. cit. 12 Jun. 1858)

7° Inter causas rationabiles ob quas professus votorum simplicium dimitti possit, non recensetur infirmitas (Decr. cit. 12 Jun. 1858), neque sola petitio professi asserentis se non habere vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam. (S. C. Ep. et Reg. 19 Nov. 1886) Quando igitur Superiores nequeunt vel nolunt dimissionem concedere, poterunt preces porrigi Rom. Pontifici, cui votorum illorum dispensatio reservata est.

8° Haec recentior disciplina de votis simplicibus triennialibus pertinet tantum ad Ordines virorum: nam in citatis documentis Pontificiis nihil de monialibus praescribitur. Igitur in earum monasteriis hodie manet antiquum jus Tridentinum secundum quod, nisi aliter constitutiones ferant vel a S. Sede statutum fuerit, vota sollemnia post unum annum emitti possunt.

83. III. **Condiciones** requisitae ad emittenda vota sollemnia satis patent ex iis quae modo dicta sunt de noviciatu (n. 81) et praevisis votis simplicibus. (n. 82, 2°, 3° et 4°) Aetas vero requisita est saltem 19 anno-

rum completorum, ut liquet ex dictis n. 82, 1^o, collata lege de triennio votorum simplicium.

Obligaciones e votis sollemnibus oriundae explicabuntur sequenti capite, quod primario de Regularibus votorum sollemnum procedit.

Plures *effectus* sollemnis professionis hic omittimus, utpote potius ad forum externum pertinentes vel alibi (nu. 91, 473) explicandos. Juvabit tamen quaedam addere de efficacia professionis sollemnis ad extinguenda vota ante emissa. (Piat. op. cit. p. 167 seqq.; Bouix, de Jure Regul. t. 2. p. 497 seqq.) Nempe hac professione extinguuntur omnia vota cum realia, tum personalia, etiam votum ingrediendi religionem strictiorem (Decr. l. 3. t. 34. c. 4. et 6ⁱ Decret. l. 3. t. 14. c. 5); excipitur tantum votum emissum in confirmationem promissionis tertio factae et ab eo acceptatae. Effectus ille probabilius producitur ipso jure, independenter a voventis intentione. Controvertitur etiam num illa annullatio extendatur ad vota simplicia emissa a professo, si iste transeat ad religionem artiore et in ea profiteatur. Attamen, e Constit. Urbani VIII (*Honorum*, 24 Febr. 1643), certum est votum non procurandi dignitatem vel praelaturam non extinguui per secundam professionem, nec posse relaxari nisi a Rom. Pontifice. Qui autem emissurus est vota religionis simplicia, potest, si velit, omnia vota sua praecedentia in vota religionis commutare. Si hanc intentionem non habuit, extinguuntur vota cum statu religioso impossibilia, sed manent quae compossibilia sunt: nam deest positivi juris dispositio. (Suar. de Relig. tr. 10. l. 3. c. 4. n. 25)

84. IV. Votorum sollemnitas reponenda est in peculiari ratione qua Ecclesiae auctoritas votis quibusdam nuncupandis intervenit eademque nuncupata custodit.

Hanc sententiam jam inter veteres DD. plures e praestantissimis docuere (Sanch. de Matrim. l. 7. disp. 25; Laymann, de statu religioso l. 1. n. 4. etc.) et sequuntur multi e recentioribus (De Buck, de solemnitate votorum, praecipue paupertatis, epistola; Nilles, Selectae disput. academicae fasc. I de juridica vot. solemn. commentarius; Ball. P. t. II. p. 437 seqq., etc.)

Ratio desumitur ex analogia cum contractibus et testamentis, quae *sollemnia* dicuntur quando iisdem conficiendis civilis potestas intervenit, sive per personam publicam, sive per ritus lege determinatos: quare Respublica *speciali ratione* sub sua tutela ea recipit. Neque putandi sunt RR. PP. alio quam hoc juridico et trito sensu accepisse votorum sollemnitate, quae, teste Bonifacio VIII (6ⁱ Decr. l. 3. t. 15. c. un.), "ex sola constitutione Ecclesiae est inventa." Adde: hanc notionem facile verificari et omnibus votis sollemnibus simul ac documentis S. Sedis applicari, dum sententiae oppositae in ambages inextricabiles ducunt, ut fusius videre est apud AA. citatos: nam argumento prolixo et theoretico diutius inhaerere nolumus.

Ad praxim praesertim notetur gratis requiri ut novas et strictiores obligationes imponant vota sollemnia quam simplicia: siquidem nihil probat discrimen eorum non esse mere extrinsecum; Immo constat eadem vota, pro voluntate R. P. agnosci posse tamquam sollemnia vel tamquam simplicia. Ergo inhabilitates quae solent accedere quibusdam votis scil. paupertatis et castitatis, non constituunt essentiam sollemnitate, ut falso opinatus est Suarez (de Rel. tr. 7. l. 2. c. 14. n. 10), sed sollemnitate jam completam, e lege positiva Ecclesiae, consequuntur. Ideo nihil obstat quominus R. P. addat hujusmodi inhabilitates votis quae simplicia maneant, prout votis simplicibus in Soc. Jesu adjecta est incapacitas valide ducendi uxorem (n. 473); pariter potest R. P. tollere has inhabilitates, salva sollemnitate votorum: quod reapse nostris diebus saepius factum esse patebit e dicendis de voto praesertim paupertatis.

85. V. Nemini hodie dubium est vota sollemnia nostris temporibus ubique emitti a viris in iis Ordinibus quos S. Sedes tamquam vere Regulares approbavit: id enim innumeris documentis et praxi S. Sedis liquido constat. Verum in quibusdam regionibus moniales, etiam ad Ordines regulares proprie dictos pertinentes, jam nequeunt vota sollemnia emittere. Id ex documentis S. Sedis manifestum est de monialibus Galliae, exceptis monasteriis ducatus Niciensis et Sabaudiae (S. C. Ep. et Reg. 31 Jul. 1861), de monialibus Belgii sine ulla exceptione (S. Poenit. 1 Dec. 1820, 2 Dec. 1853, etc.), de monialibus Stat. Foeder. Amer., exceptis monialibus a Visitatione B. M. V. nuncupatis in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, Kaskakia (1), S. Aloysii et Baltimore. (Causa Americ. votorum soluta a speciali Congregatione 1 Sept. 1864; Act. S. S. t. I. p. 708 seqq.) Moniales ergo istorum Ordinum simplicia tantum vota emittentes in speciali condicione versantur, scilicet:

1^o Jam non subjacent inhabilitatibus quae ex solo jure ecclesiastico votis sollemnibus adnexae sunt, speciatim incapacitati acquirendi bona et matrimonii valide ineundi.

2^o Non viget in earum monasteriis clausura papalis cum gravibus censuris eidem adnexis (n. 599), sed tantum ea clausura quae ab episcopo injungitur. (S. C. Ep. et Reg. 1 Aug. 1839) Immo defectus clausurae papalis et summa difficultas illius in regionibus istis servandae, videtur fuisse praecipua causa ob quam S. Sedes vota sollemnia esse noluit.

(1) In hoc loco jam nullum exstat monialium a Visitatione monasterium.

3^o Nulla exemptione a jurisdictione Ordinarii fruuntur illae moniales, nisi ipsis speciali S. Sedis concessionem reddita fuerit. (S. C. Ep. et Reg. 23 Mart. 1869) Ideo per se nullam auctoritatem in eas habent Superiores Regulares eorundem Ordinum.

4^o Votum ingrediendi religionem a femina emissum in ordine ad talia monasteria jam non est Apostolicae Sedi reservatum. (S. Poenit. 23 Dec. 1835)

5^o Ad officium recitandum eadem moniales non tenentur vi juris communis, sed illam tantum obligationem habent quae e respectivis earum constitutionibus oritur. (S. Poenit. 26 Nov. 1852)

6^o Pluries declaratum est easdem non esse moniales strictae, sed piarum tantum feminarum societates. (S. C. Ep. et Reg. 26 Nov. 1852, etc.) Sic tamen denegatur ipsis tantum appellatio monialium in sensu stricte juridico. (n. 74) Nam status religiosi essentiam habent et verum coram Deo, tum coram Ecclesia religiosae sunt. (Bouix, de Jure Reg. I. p. 520 seqq.) Fruuntur quoque omnibus indulgentiis aliisque favoribus spiritualibus quibus gaudent moniales ejusdem Ordinis alibi sollemniter professae. (S. C. Ep. et Reg. 23 Aug. 1867 et 23 Mart. 1869)

7^o E speciali concessionem S. Sedis (S. Poenit. 23 Dec. 1835), possunt episcopi Galliae dispensare in votis earundem monialium, firmo manente voto castitatis. Id tamen non est extendendum ad vota emissa in congregationibus recentioribus (Coll. Bizz. p. 502, nota) vel ad vota monialium Belgii, quae S. C. Ep. et Reg. 23 Aug. 1867, declaravit " non posse dispensari nisi ab Apostolica Sede. (1) „ Per se dispensationem S. Sedis requiri in votis religiosis, etiam in certam diem emissis, constat ex Const. *Conditae*.

(1) De dispensatione votorum quae in dioecesanis institutis emittuntur, haec habet Conc. Baltim. III. n. 93: " Quoad vota ad tempus... emissa, episcopi potestate ordinaria, quoad vota perpetua autem (ratione voti perpetuae castitatis S. Sedi reservati) non nisi potestate delegata, quae continetur in facultatibus S. C. de Prop. Fide concedi solitis, Form. I. n. 4, dispensare possunt, si ipsi graves rationes ita exigere coram Deo judicaverint, praehabita tamen petitione Superioris vel Superiorissae, consentientibus ejus consiliariis, ne scilicet dispensatio forte sit in praedictum tertii. „

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS ORIUNDIS E PROFESSIONE RELIGIOSA.

§ I. OBLIGATIONES GENERALES.

86. I. Religiosus vi professionis sive simplicis, sive sollemnis, tenetur **tendere ad perfectionem**. Nam vi professionis suae debet servare statum suum: is autem est essentialiter status perfectionis acquirendae. (n. 72) Ad hoc tamen sufficit uti aliquibus mediis quae ex se sunt meri consilii, quamvis forte ob votum elicitum facta sint huic determinato homini obligatoria. Secus enim servare paupertatem et castitatem, religioso voto confirmatam, non esset tendere ad perfectionem: quod plane absurdum est. (Suar. de Rel. tr. 8. l. 1. c. 4. n. 11)

Ad perfectionem autem tendere potest et debet religiosus per varia media:

1^o Per observantiam mandatorum, in qua essentialiter consistit christiana perfectio. (2. 2. q. 184. a. 3) Hoc tamen medium cunctis fidelibus commune est.

2^o Per observantiam votorum.

3^o Per alia media secundaria, inter quae eminent regulae.

II. Haec obligatio tendendi ad perfectionem gravis est, ut liquet e rei momento et gravi obligatione votorum cui innititur. Raro tamen mortaliter contra eam peccabitur ab eo qui non positive statuit perfectionem status religiosi propriam omnino abjicere. Etenim:

1^o Religiosus qui proponeret ea tantum servare quae ipsum sub gravi obligant, jam proponeret implicite tendere ad perfectionem: siquidem inter graves ipsius obligationes recensentur vota, quorum observantia est actus perfectionis. Sed manifestum est e tali dispositione non leve periculum oriri ne quis in mortale peccatum cadat. Cfr. Vol. I. n. 158.

2^o Non peccaret graviter contra hanc obligationem qui raro vota substantialia etiam graviter laederet: id enim non impediret habituales eorundem observantiam et consequenter tendentiam ad perfectionem. (Lehm. II. n. 517)